



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarrationes Novae D. Martini Lutheri in Ionam Prophetam

Jonas, Justus

Haganoæ

Jonas Propheta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36521

in maximis miraculis inter eos inclaruit, resipiscunt. Hæc tanta duritia & ingratitude est, iam nunc cum solum legitur & auditur, maximum omnino Iudæicæ gentis dedecus & summa infamia est. At longe maior tunc futura est, cum hoc non tantum audietur aut legetur, sed coram tribunali Christi prolatum, uidebitur. Sed sic sunt obdurati, cæci, tales hypocritæ omnes, nec ullis uerbis aut miraculis perueniunt. Ideo hos & similes missos faciēs, accingor enarrando propheta, ut ex illo, dante Deo, nostram consolationem & fructum hauriamus. Amen.

IONAS

PROPHETA.



VNC. Prophetam Ionam quidam contēdunt filium esse uiduæ de Zarpath, Sidoniorum, quæ propheta Heliam paut tempore famis, ut in primo lib. Reg. cap. 17. & Luc. 4. habetur. Eius rei afferūt argumentum, quod Iona ipse sese hic

se se hic uocat filium Amithai, id est, filium ueracis, & uidetur eis uerba uiduæ ad hoc apte quadrare, quæ ad Heliam filium eius suscitantem à mortuis, dicit: Nunc cognoui uerbum oris tui uerū esse. Eam opinionē sanè sequatur qui uolet, ego non sequor. Sed constat Ionam esse filium Amithai, Latine ueracis, & ex oppido Gath Hepher, quod situm fuit in tribu Sabulon, Iosue decimonono. Nam sic scriptum est 4. Reg. cap. 14. Rex Hieroboam restituit terminos Israël ab Hemath usq; ad mare solitudinis iuxta sermonem Domini Dei Israël, quē loquutus est per seruum suum Ionam, filiū Amithai prophetam, qui erat de Gath Hepher. Adhæc uidua de Sarepta Sidontorum erat gentilis, quemadmodū Christus Lucæ 4. dicit. Ionas autem hic, primo cap. fatetur se Hebræum.

Hoc ideo præmitto, quia in enarrandis prophetis, admodum utile est, & ubiq; plurimū addit lucis, ut (quatenus hoc fieri potest) diligēter ostendamus, quo in tēpore, sub quo rege, quo statu rerū, quæ terra propheta uixerit, quæ legis. Conducit enī ad intelligendam eo clarius prophetiam, quando temporis, personæ, loci circumstantias, & quis tunc status rerum fuit, exacte primum discimus & perpendimus. Nunc ergo ostendi hunc Ionā fuisse tēpore regis Hieroboā, cuius auus fuit rex Iehu, tunc

IN IONAM

eum Vsi rex regnabat in Iuda, & sub idem tēpore
 floruerūt in eodem regno Israel alij prophetae, Ho
 sea, Amos, Ioel, in alijs locis & oppidis. Ex quo
 conijcere licet hunc Ionam in toto regno Israel, in
 rum maximum, potentem in opere & sermone co
 ram Deo & hominibus fuisse: propter cuius uer
 bum adeo benedicatur, adeo fortunatus fuit tūc rex
 Hieroboā, ut tunc foelicibus bellis recuperarit om
 nia, quae Hasael rex Syriae, regno Israel eripuerat
 & occuparat. Hic hostis adeo afflixit uarijs calami
 tatibus Israelem, ut propheta Helisa, non sine mul
 tis lachrymis hoc praedixerit, 4. lib. Reg. ca. 8. Scio
 quae facturus sis filijs Israel mala, ciuitates eorum
 munitas igne succendes &c. Et quamuis regnum
 Israel deditum esset Idololatriae, & ultra Deum ue
 rum adoraret aurea Idola uitulorū in Samaria, ta
 men Deus nihilominus benefecit ei propter Ionam.
 Tam incomparabile Dei donum est, quando Deus
 alicui terrae dat Verbum, & uel unum hominē ha
 bentem Verbum Dei, ut propter illum non tantum
 ignoscat & conniueat ad peccatum & inobediē
 tiam totius populi, sed etiam beneficia sua opulē
 ter ibi effundat. Quid non faceret ubi plures sunt
 pij, & qui habent Verbum Dei? An autē hoc quod
 gessit Ionas in Niniue, & uentre ceti, factum sit an
 tequam Ionas sic consuluit Hieroboam regi, & re
 bus

bus totius regni Israel, uel posteaquàm redit à Ni-
 niuitis, non certo constat ex scripturis. Verisimi-
 lius tamen est quòd primum regi Hieroboam in re-
 gno Israel inseruiuit et cōsuluit, donec rex restituit
 regnum, & recuperauit occupata à Syris, post ex-
 tra terrā suam missus est à Deo in terrā longinquā.
 Nam in terra Israel experientia didicerat, quàm sic
 esset Deus bonus & misericors erga Idololatrias re-
 gni Israelis, ideo & diuinabat quòd Deus esset mise-
 ricors futurus erga Niniue, & se frustra prædicatu-
 rum, quemadmodum ipse fatetur, atque ideo irascē-
 tur, capite tertio.

In summa, status rerū in mūdō tunc eiusmodi fuit.
 Summa monarchia erat apud Assyrios in Niniue,
 quemadmodū post in Babylone, & tandē apud Ro-
 manos. Ultra hanc erant alia minora regna, Syria,
 Israelis, Iuda, Edom, Moab, & regnum Israel sub
 rege Hieroboā florebat propter Ionam, & regnū
 Iuda quoq; non male habebat sub rege Vfia. At ille
 tunc extremus & ultimus flos regni Israelis fuit, et
 quasi ultimū Vale. Nam post mortem regis Hiero-
 boam, cum Israel neq; minis neq; beneficijs reuoca-
 ri posset ab Idolis et impijs cultibus, palam minaba-
 tur ruinam Respublica & regnum Israelis, & inte-
 stinis discordijs, & cædibus mutuis interierunt rea-
 ges, donec uenit rex Assyriorum, deuastans Syriā

IN IONAM

& Israel, & transtulit regem & populū in As-
 syriam. Vnde in hunc diem Israel non est reuersus,
 quemadmodum ultimum caput secundi lib. Reg. te-
 statur. Cum igitur impenderet tanta calamitas &
 excidium totius regni Israelitici, propter impieta-
 tem populi, ideo misit Deus Verbum suū per pro-
 phetas, ut conuerterentur, aut aliqui saltem lucrif-
 erent. Sic enim semper inde ab initio mundi cōsu-
 uit facere Deus, quādo impendit insignis aliqua ira
 aut calamitas, primū promittit Verbū, ut aliqua
 beretur. Sic Noa misit ante diluuiū, Loth ante euer-
 sionem Sodomæ: Abraham, Isaac, Iacob, ante exci-
 dium terræ Canaan: Ioseph & Mosen ante tot hor-
 ribiles plagas Aegypti: Ionam & Hosea ante deu-
 stationem Israel, Ionam etiam ante euer sionem Ni-
 niuæ. Sic Christum etiam filium suum misit in mun-
 dum, antequam ultima ira extremi iudicij ueniat.
 Sed post Christi mortem, nō modo Hierusalem, sed
 Roma, & totum Romanum regnum sic interijt, ut
 uix ruinae relictæ sint. Nos etiam iam habemus eor-
 dem gratiam & lucē diuini uerbi, ideo certū est ma-
 ximas calamitates impendere, ibi Deus quosdam
 uult eripere, antequam ueniant, uenturæ enim sunt
 nisi resipiscemus. Sed prohdolor, pauci resipiscunt,
 ideo & poenas peccati, seditiones, pestilentias, Tur-
 cam etiam ipsum iam experti sumus.

Surg

Surge, & uade in ciuitatem magnam Niniue, & prædica ibi &c.

Hic uidemus Deum non solos Iudæos agnoscere, sed etiam reliquos populos & gentes. Quem admodum Paulus Rom. 3. dicit: An Iudæorū Deus tantum, nonne & gentium? Hic propheta non dicit Niniuitas legem Iudaicam recepisse, sed tantum commendat eos, quod ad prædicationem suam, credentes Verbo Dei, mox conuersi sint & resipuerint. Hoc sanè forte & firmum argumentū est quo Iudæi possint retundi, & Christiana doctrina confirmari, atq; ideo dignū q̄ hic obseruemus. Ex hoc enim loco cōuincere & planè ἐπιστήμην possumus, contentiosos & pugnaces Iudæos, circumcisionem & legem Moysi non esse necessariam, ad consequendam iustitiam coram Deo: neq; uerū esse quod opinantur Iudæi, Israel carnalem tantum esse populum Dei, & fore ut totus mundus, omnes gentes carnaliter adiiciantur Iudæis, Mosen et Iudaismum recipiant. Nam hic Ionas testatur suo libro, & ostendit Niniuitas absq; lege & ritibus ac cultibus Iudaicis, tantum per fidē, & fructus fidei placuisse Deo, & satisfecisse, neq; quicquā amplius exegisse Deū. Nam si lex Moysi necessaria esset ad iustitiam, tunc Niniuitis quoq; fuisset necesse circums

I N I O N A M

endi. Nunc autem sola fide in Verbum Ione iustifi-
camur. Econtra autem inuenimus Deum exigere
fidē à Iudæis & opera bona, neq; prodesse eis cir-
cuncionem, & uarios cultus legis Mosi. Quem-
admodum Esaiæ 1. reijcit omnes egregios cultus ip-
sorum, & sacrificia. Et uidemus hunc locum Ione
pulchre concinere cum Paulo Rom. 2. quod gentes
non habentes legem, ea quæ legis sunt, faciunt, &
Iudæi per literam & circuncionem præuaticato-
res inueniuntur legis. Vt facile hinc possis animad-
uertere, legem Mosi tantum Iudæis ad tempus dat-
tam esse, ad humiliandos & coercēdos eos haud
aliter atque sub pædago. Et Paulus Galat. 4. dic-
cit, nullo modo autem in hoc datā esse, ut per hanc
coram Deo iustificentur, sed potius ut per legem
mortificati, humiliati, sitiānt gratiam, confugiat ad
Christum. Sic nunc prophetia Ione pulchre confir-
mat locum Pauli Roma. 3. non ex operibus legis,
sed per solam fidem nos absq; operibus iustificari.
Quæ fides postea non est ociosa, sed uere timet
Deum, uere cōfidit, benefacit proximo, ut hic in Ni-
niuitis uidemus. Si nunc Ninuitæ tunc nō obligati
erant ad legem Mosi, aut recipiendum Iudaismū,
cum lex et omnes cæremonie legis adhuc durabat
in populo, tempore quo Christus nondum uenerat.
Quāto minus nunc obligati sumus ad legem Mosi.

iam reuelato Christo, & Euangelio, & lege etiam apud Iudeos abrogata. Proinde lege Mosi, haud aliter atq; Niniuitæ nihil amplius opus habemus ad iustitiã, sed tantũ fide, quæ operatur & efficax sit.

Hoc dico, non tantum ad conuincendos solidis et firmis argumentis Iudeos, sed etiam propter nos, qui iam olim super hac doctrinæ sanæ, & ueritate Dei, non cum uno diabolo, quasi in acerrimo agone decertamus, & luctamur. Primũ enim Papa cum suis, Euangelium hoc salutis Nouam Doctrinã uocat, oneratq; nos multo grauioribus & pluribus legibus, quàm Moses: contenditq; in his sitam esse coram Deo iustitiã. An uero ea non est uetusta satis quæ tempore Ionæ, tanto tempore ante Christi aduentum fuerit, à tot prophetis, tanta contentione proclamata, & usq; ad sanguinem defensa. Deinde, an non satis efficax ad iustificandũ, cum hæc doctrina fidei Niniuitas Idololatrias iustificarit absq; lege & operibus legis Mosi, tum cum ne suspicari quidem poterat, quisq; unquam ullum Papatum, in mundo futurum. Deinde sunt phanatici quidam spiritus, qui lege Mosi onerare nos conantur, & Magistri Nostri, cum tamẽ non Mosi, nec Christi uerũ usum norint, cum nunquam didicerint, quatenus lege Mosi utendum sit, aut ad quos pertineat. Eiusmodi spiritus erant, qui tantis tumultibus in tem-

plis diruunt altaria, & statuas euertunt, ac pictas
 imagines ex mutis & miseris illis parietibus er-
 dūt, in cordibus ipsissimi Idololatræ tantū. Qui no-
 stros principes ac magistratus uolunt uti lege Mo-
 si in iudicijs & foro, qui tam furiosis clamoribus
 quiritantur, Verbum Dei est, uerbum Dei est, uer-
 bum Dei est: quasi uero omne Verbum Dei, ad om-
 nes æque pertineat, quasi uero nullum faciendū sit
 discrimen, quòd Verbū Dei ad quos dictum sit, qui-
 būsue mandatum sit. Verbum Dei erat, quo præce-
 piebatur Noë, ut edificaret arcam. Verbum Dei
 erat, quo Deus Abraham & Salomoni mandabat,
 alteri ut mactaret filium in holocaustum, alteri ut
 edificaret templum. At non ilico idem mihi est fa-
 ciendum, nam illud uerbum Dei ad me non est dic-
 tum. Mihi autem hoc generale Verbum & man-
 datum dictum & factum est: Resipiscite et credite,
 quæadmodū etiā hic Niniuitis. Proinde nō est ut mi-
 hi occinas, Verbū Dei est, uerbum Dei est: sed oportet
 tibi diligenter esse attentum, an mihi hoc Verbū
 Dei, an alijs dictū sit, et postea parere uocationi.

Vide uero, quàm grauem & magnam prouidentia
 demandat hic Deus Ionæ. Nam unicum hunc, coram
 mundo uilem & contemptum Ionam, Deus prædica-
 torem constituit aduersus totam Monarchiā As-
 syriorum, contra tantū Regem & eius principes.

Cum au-

Cum autē aliās nō modo magni negotij, sed & maximū periculi res sit, coram mundi potentibus prædicare ueritatē Dei, qui omnium minime ferre possunt, ut libere obiurgentur eorū scelera, sed quod libet, licere sibi uolunt, magnum profecto onus hic imponitur Ionæ, annunciādi illis omnibus eorū scelera. Et nisi Deus postea animasset Ionam, iuxta illud Hierē. Ponā te ut columnam ferreā: nisi apertionem oris ei dedisset ἐν τῷ ἔργῳ πᾶσι πᾶσι, rei gravitate, & oneris magnitudine conterritus, resistisset, & ne postea quidē hoc ausus esset. Num putas Ionam sepe reputasse apud se quo mitteretur, scilicet non ad oppidulum aliquod tenue & rusticianum, sed ad potentissimum orbis Monarcham, in illam regiam aulam, & maximā urbem, ubi tot principes, tot mundi sapientes, tot proceres florentissimi regni, tot luxu & opibus per diti magnates erant, inter quos multi, non modo coram mundo honesti & boni uiri, sed & omnis uirtutis genere insignes, præcellentes, & esse et haberi uolebāt. His nunciantis hominibus repente exoritur hic uilis et contemptus Ionas, non modo censor ac magister uitæ & morum, sed & nuntius æternæ iræ Dei, & prima uoce damnaturus hanc totam speciem honestissimæ uitæ, & liberrime in publico declamaturus hæc omnia coram Deo, impia, proiecta, & in-

IN IONAM

quinatissima esse peccata. Hoc igitur nunc subire
onus (præsertim ad tantum tyrannum) planè dif-
ficilius, & magis arduum omnino fuit, quàm nunc
animo concipere, aut ulla cogitatione imaginari
possimus. In summa, hæc historia uidetur frigida,
& non afficit ualde nos, quia nos tunc non adfui-
mus, nec sensimus magnitudinem periculi, re tunc
præsentem. Si nos similia experiri deberemus, aut si
huic rei adfuissemus, tum res longe absurdissima, et
stultissima nobis uisa fuisset, unicum hominem
mitti ad expugnandam et euertendam Verbo Dei
tantam Monarchiã. Quid putas iudicaturum mun-
dum? si ego unus aut tu aut aliquis mendicus mitte-
retur ad Dominatorẽ iam totius Asiæ &c. regem
Turcarum, ad obiurgandũ eum, ac principes eius
apicula aut musca uideretur mitti ad prosternen-
dos muros Babylonis. Quàm sæpe uisum est Italis
et Romæ Curtisanis ridiculũ, quãdo aliquis Romæ
ausus fuit mutire contra Papam. Sed hoc fit ad eru-
ditionem & consolationem nostram. Quantumuis
enim opera Dei uideãtur inepta, ridicula, & omni-
no stultissima coram mundo, tamen quando incipit
aliquid Deus, etiam cum omnia appareãt despera-
ta, ipse mirabili sapientia & potentia sua pertrahit.
Stultũ enim Dei sapientius est hominibus. 1. Co-
rinth. 1. Hoc ostendit hic in Iona.

Et super

Et surrexit Ionas ut fugeret ad mare, a facie Domini, & descendit in Iapho.

Latini textus omnes habet Tharsis, ubi ego trās-
tuli, fugit ad mare. Næ autem prudentuli hoc ca-
lumnientur, oportet me huius rei reddere rationē.
Quidam contendunt Ionam fugisse Tarsum, in ur-
bem Cilicie, unde oriundus fuit Paulus Apostolus,
Act. 9. Sed hoc non habet scriptura: nam textus nō
dicit Tarsus uel Tarsum, sed Tharsis, uel ad Thar-
sis. Hebræa lingua duo uocabula habet, quæ signi-
ficant mare. Iom & Tharsis: iom nō significat tan-
tum mare magnum, sed etiam alios lacus & palu-
des. Nam Lucas, mare circa Tyberiad, Caper-
naum, & Bethsaida, in quo nauigauit Christus, uo-
cat. Sic etiā Moses Gene. 1. dicit. Deus uocauit con-
gregationem aquarum Iom, id est, mare uel palu-
des. Sed Tharsis significat mare magnum, quod nō
est tractus, uel sinus, uel brachium tantum, in quo
inari sunt Cyprus, Rhodus, & aliæ insule, quod et-
iam nauigauit sanctus Paulus, Actu. 28. cuius iam
Turca, Veneti, Galli, & Hispani domini sunt: por-
rigitur autem à Cilicia usq; ad finem Hispaniarū.
Sic & mare rubrū, et alia, etiā appellatur Tharsis.
Sic dicit Psal. septuagesimus secundus: Reges Thar-

sis & Insule munera offerent, id est, reges in litto-
 re maris magni & insula. Ciuitas Tarsus non est
 regnum, neq; unquam habuit unum regem, aut plu-
 res reges. Sic Salomon naues misit in Tharsis, hoc
 est, in mare uersus Orientem per mare rubrū, ad
 afferendum aurum ex India. Ibi naues non poterāt
 rectā ad ciuitatem Tarsum ire, nisi per aridam &
 terram uelis nauigare. Nam inter Tarsum & ma-
 re rubrum nihil est quā terra. Sic Psalm. 45. dicit:
 Conteres naues Tarsis, hoc est, naues in mari. Et
 Esaias dicit 23. Ululate naues Tarsis, id est, naues
 maris. Et multis alijs locis potest hoc colligi, adeo
 ut sanctus Hieronymus ipse fateatur melius reddi
 mare, & intelligi commodius de mari, quā de ci-
 uitate Tarso. Neq; Ionæ negotium erat in ulla cer-
 ta urbe Tarso uel alia, sed tantum anhelabat fuge-
 re, quocunq; tandem deferretur, tantum fugā qua-
 rebat, quemadmodum & dicit: et cum undiq; per-
 cussus, nullum excogitare potuit locum, cepit tri-
 ste consiliū nauigandi, quo uenti, tempestatesq; de-
 ferrent. Iapho est ciuitas Ioppe, sonat Latine spe-
 ciosa, portus ad quem deueniunt, qui nauigant &
 appellant ad Iudæam, seu terram sanctam. Ionas igitur
 à portu Iudææ soluit, & nauigauit uersus Occi-
 dentem. Hoc etiam ostendit hoc uerbum, quod di-
 cit, fugit à facie Domini. Quis enim potest fugere
 à facie

à facie Domini, cū sit ubiq; ut Psal. 138. dicit. Neq;
Jonas erat tam rudis, ut nesciret Deum esse ubique,
cum post ipse fateatur se seruire Deo, qui condidit
coelum, terrā, mare, & omnia quæ in eis sunt. Cum
etiam audiret quòd Deus esset in Niniue ulturus im-
pietate, qui missurus esset se ad Niniuitas. Sed hoc
sic est intelligendum: Deus duplici modo est præ-
sens. Primū naturaliter, sic est ubiq; ut Esaias 62.
dicit: Coelum sedes mea est, & terra scabellum pe-
dum meorū: sic est in medio inferno, morte & pec-
cato, ut Psalm. dicit, Si ascendero in coelum, tu illic
es &c. Sic nemo potest effugere oculos Dei. Secun-
do, spiritualiter, & sic tantum ibi est præsens, ubi
uere cognoscitur, id est, ubi illius uerbum, fides, spi-
ritus, & uerus cultus est, ibi habet suos, qui soli cer-
to sentiunt & statuunt, Deum talem esse Dominū,
qui omnipotens & ubiq; sit. Impij autem hoc serio
non sentiunt, non credunt, nec confidūt quòd Deus
ubiq; sit, etiam si hoc audiant doceri, aut ipsi etiā di-
cere, & uerbotenus docere possint. Sic potest quis
fugere à facie, quando eò aufugit, ubi nec Verbum,
nec nomen, nec spiritus, nec cognitio Dei est. Sic Io-
nas fugit à Domini facie, à populo & terra Iudai-
ca, in qua Verbum Dei, spiritus & cognitio Dei est.
Jonas fugit in Tharsis, in mare, in gentes, ubi nec
Verbum, fides, nec spiritus Dei erat.

I N I O N A M

Hic nunc incidit quæstio, an Ionas tunc peccarit, fugiens à facie Domini. Veteres scriptores, & sancti patres ualde propensi fuerunt, ut prophetas, apostolos, & reliquos sanctos prorsus immunes fecerint ab omni peccato, & planè angelos, quæ stultitia humilitate tandè eò prolapsi sunt erroris, ut maluerint manifestos scripturæ locos torquere, et uiolenter corrumpere, quàm sanctos, peccatores facere. Quanquàm nunc ea humilitas, quæ præ se scriptores Apostolos & prophetas fecerunt ab omni peccato mundos, sit eatenus tolerabilis, quatenus ex odio peccati & amore iustitiæ procedit, tamen periculosum est, torquere scripturam, aut uiolentâ interpretationem sequi. Christus Matth. 5. dicit: Cælum & terra transibunt, uerba autè mea nõ transibunt. Melius est minus tribuere sanctis quàm merentur, quàm deprauare Verbum Dei. Nam sine sanctis possumus saluari, sine uerbo Dei non possumus saluari. Sequimur igitur hic manifestum Verbum Dei, & claræ scripturæ uerba, & sentimus Ionam in maximum peccatũ prolapsum esse, quo esset in æternum damnatus, nisi fuisset ex numero electorum, & scriptus in libro uitæ. Hoc enim nemo potest inficiari, Ionam hic uocatum à Deo, accepisse mandatum diuinum, ut prædicaret in Niniue. Ad hæc certissimum est, hic non iocatum esse Deũ, sed non mi

non minus serio hoc mandasse Ionæ, quam Adæ man-
datum dedit, ne ederet &c. dixit enim Deus: Ma-
litia ciuitatis Niniue ascendit ad me &c. Ego sta-
tui propter peccata & impietatem totum Assyrio-
rum regnum castigare. In summa, ira Dei impen-
det Niniuitis. Præterea certum est, Ionam huic diu-
no mandato inobediẽtem esse, cum fugit, detrectat
iussu Dei, & nihilo leuius peccat, quam Adam in
Paradiso. Debat enim Ionas nõ modo parere mā-
danti Deo, sed & iussu Dei alacriter, & summo
gaudio exequi, & sexcentis citius mortem perpe-
ti, quam Verbo Dei non obsequi. Quod enim gra-
uius aut abominabilius potest esse peccatum, quam
diuine uoluntati aduersari? Vide cuiusmodi poe-
nas dederit Adam, Saul, populus Israel, contempti
mandati diuini, & quàm plectitur grauius Ionas?
Eant nunc qui uolent, & eleuent, & extenuent cul-
pam Ionæ, nouũ & insigniter horribile genus pœ-
ne, satis ostendit non leue fuisse peccatum. Quàm
pulchre hic effugit Ionas manus & imperiũ man-
dantis Dei, quàm libens ex animo postea hanc fu-
gam, si potuisset, uel tribus mortibus mutasset. Non
uult mitti in Niniue, in mediũ aule & populi con-
tionator, & projicitur in medios fluctus, immani-
simo ceto præda futurus.

Hoc totum scriptum est ad nostram doctrinam,

IN IONAM

primum, ut hic discamus, qui in afflictione & cruci-
 ce remurmurant, nec obediunt Deo, illis tamen fre-
 renda est tandem uoluntas Dei, neq; nostra detrecta-
 tio eius imperium & uoluntate uertit. Et uidemus
 hic, qui propter Deum recusant tolerare leuiorem
 aliquam crucem, illis sæpe longe grauior postea de-
 gon decertandus. Proinde si sapias, cito permittite
 Deo, & eius sanctæ uoluntati, cito occurre ei ho-
 uoce, Fiat uoluntas tua. Hic tamen id non obsecrat
 est signum gratiæ in Iona, quòd mox post peccatum
 Deus eum ut dilectum filium castigat, nec sinit inma-
 lescere affectum eius carnalem, aut inobedientiam.
 Sic ut iure possit gratus canere Ionas, Castigans ca-
 stigauit me Dominus, sed morti non tradidit me. Se-
 cundo, habemus hic exemplum, ut recte discamus uiam
 misericordiæ & gratiæ, ne nostris meritis fidamus
 aut demeritis terreamur, & sciamus neq; in pecca-
 tis nos dannari, neq; bonis operibus saluari. Solus
 enim gratuita misericordia Dei seruamur, & non
 modo peccata, sed & optima opera sunt damnabi-
 lia, nisi adsit fides, quæ neq; peccato desperet, neq;
 meritis confidat. Hic enim uides Ionam nullo ope-
 re esse promeritum, ut in uentre immanis & tete-
 rime beluæ magnifico miraculo seruaretur, nisi
 tertio die uiuus eijceretur in littus, sed mirabilis
 amplissima misericordiæ hoc opus est, quemadmo-
 dum

dum et Ionas in suo cātico hoc miris affectibus prædicat, ut infra audiemus. Econtra uides nō leue flagitium, sed inobedientiam manifestā, & tamē huic peccato non succumbit Ionas, nec deseritur. Hoc facit rediuiua illa infracta, alacris, & denuo excitatissima fides, in medijs illis fluctibus, & medio peccati naufragio non desperans, nec nutans, sed mordicus tenens promissionem Dei, & Verbum gratiæ: & cum omnia uideantur desperata, tamen reiiciens se cōfidenter in Deū, agnoscens ingenue peccatum, & prosternens se ad pedes Dei. Si enim desperasset Ionas, neutiq̄ ē uisceribus ceti ereptus esset, nec sic in media morte seruatus. Verum inuictū hoc robur fidei, in medio peccati adhuc luctātis efficit, ut Deus huius Ionæ in infima abyssso proiecti, obliuisci non possit, tametsi iam plus quā semisepulti, & in uisceribus beluæ, tantū non cōcocti. Ipsa mors igitur reuomere cogitur iam deuoratū, & penèter consumptū Ionā. Sed de hoc infra dicemus.

Hæc igitur maxima est consolatio nobis, quod uidemus non solū nos infirmos esse & imbecilles, sed & spiritualissimos homines ipsos, prophetas, et maximos sanctos grauiter lapsos esse: nam & ipsi homines fuerunt, caro & sanguis. Non desperandum igitur nobis est, etiam si labamur, modo non excidamus regno gratiæ, per hæresim aut falsam doctri-

I N I O N A M

nam. Quemadmodum eorū qui sunt in regno gratia, nullum tam graue peccatum est, quin credentibus condonetur. Ita extra regnum gratia nullum opus est tam nobile aut preciosum, quod nō sit damnabile. Hoc autē est manere in regno gratia, quando contra gratiam non peccatur. Contra gratiam autem peccatur duobus modis. Primum, quando peccauit contra praeceptum Dei, & peccati culpam sic adaugeo, ut oblitus promissionis desperem, & despondeam animum, quasi nunquam remissurus sit Deus peccatum, aut quasi non sit ignoscens a peccato Deum. Nam ibi etiā nulla est amplius gratia, & dicitur negatus est Deus, contempta q̄; omnis opulētia gratia. Haec tentatio iam amplius non est humana, sed Sathanica, & peccatum in spiritum sanctum, quod non remittitur quādiu durat, quia ex diametro pugnat cum misericordia, & est blasphemia in gratia per quam solam remittitur peccatum.

Hoc autem uoco manere in regno gratia, quando non despero de gratia Dei, aut remissione peccati. Sed magna animi certitudine & constantia, confido Dei gratiam esse amplissimam, & remissionem peccatorū, etiam si uehementissime premat me peccatum, etiam si iram Dei & omnium creaturarum, quasi uni mihi incūbentem sentiā, etiam si propria conscientiae dialogismi me expugnent, grauisimū peccatum

reatus conuincāt. Hoc demū est amplitudinem gratiæ uere cognoscere, & Dei misericordiam laudare, & fiducia illius iudicio Dei, morti & inferno, omnibusq; inferi portis insultare. Sic Iaco. 2. dicit, Excellit misericordia iudicium, id est, maior est amplitudo gratiæ, quàm ullum iudicium, & potentius est regnum gratiæ, quàm ira aut iudicium Dei. Quē nūc sic tenaciter adhæret promissionibus, ille infra ætus est contra omnem accusationem. Qui autē per pusillanimitatē cedit conscientiæ, in illius corde impetus iudicij uincit fidem, & ibi succumbit fides, et superat iudicium planè ad damnationem.

Quemadmodum e contra, ubi animosa fides apprehendit promissionem gratiæ, ibi uincitur & opprimitur iudicium, omnisq; uiolentis urgentis iræ Dei, ibiq; regnat in corde, & excellit cognitio misericordiæ & gratiæ, ad salutem et uitam æternā: quemadmodum hic excellens hæc uictoria fidei est in corde Ionæ. Atq; hæc iam non est humana iustitia, sita in nostris operibus aut uiribus, sed etiā iustitia diuina, cælestis & æterna, sita in sola fide, & spiritu absq; operibus. Nam pure & simpliciter innititur promissio gratiæ, quod non facit ulla iustitia operum. Ea iustitia Sabbatismus est sanctissimus ab omnibus operib. nam in nulla re externa sita est, sed tota, et per oia sita est intus in corde et cōscientiā.

IN IONAM

Secundo pecco contra gratiam, quando bona opera facio ea spe & fidutia, quasi per ea deleri possint peccata, & reconciliari Deus. Nam per eam fidutiam iterum blasphemus sum in gratia, quasi ea non opus habeam, sed operibus possim iustificari. Hoc iterum est contemnere & blasphemare gratiam, & ea iustitia & fidutia operum, tunc non est iustitia Dei, sed Sathanica, & peccatū quod nō remittitur, quāmdiu durat, & erratum non agnoscitur. Hoc autem est excidere & manere extra regnū gratiæ, quando confidimus nos ullo opere aut re externa sic iustificari, ut non indigeamus gratia, sed quasi opera nostra satis sancta et pura sint: hoc tunc est invertere uerbum Iacobi, Iudicium excellit misericordiam. Nam opera ibi opponuntur iudicio Dei, imò opera præferuntur & conferuntur misericordie, hoc est peccatum in spiritum sanctū, quod non potest remitti, id est, talis impietas quæ ipsa sibi non relinquit gratiam & misericordiam, quæ possit remitti, ut alia peccata quæ infirmitate uel aliis fiunt. Nam omnia alia peccata, hoc sibi relinquunt integrum, ut adhuc misericordia ibi sit & gratia, quæ superabundet magis quàm peccatum. Hoc peccatum autem, hæc blasphemia & fidutia operum, prorsus excludunt, abnegant & aspernantur gratiam, quasi nulla sit misericordia quæ possit sanare,

aut quasi non opus sit gratia ad remittenda peccata. Et hoc est excidere regno gratia, & peccare contra spiritum & gratia. Ex hoc intelligi potest, quid Christus uelit, quod dicit peccatum in spiritum sanctum non remitti, nec in hoc seculo, nec in futuro, Matth. 12. & Mar. 4. & Ioannes cum dicit non orari debere pro peccato ad mortem, peccatum ad mortem uocat peccatum in spiritum sanctum, hoc est, tantum dicere quod desperat in peccatis, aut fastuose gloriatur in operibus, hic peccat in spiritum sanctum, & contra gratiam. Ibi quidem orandum est, ut à tali obstinatione liberentur sic indurati, et conuertantur. Vt autem Deus ipsorum misertus, faciat suam misericordiam in ipsorum cordibus, esse potentiorè quàm hoc sit peccatum, ut aliàs oramus pro erratis, hoc est impossibile orare. Nam ibi orare pugnantia quod Deus sineret suam gratiam cõtemni, & tamen faceret potentiorè esse his peccatis. Hoc fieri nequit. Sed debemus orare cõtra hoc peccatum, quemadmodum Moses Nume. 16. orat contra peccatum Core, & dicit: Non uelis respicere sacrificia ipsorum. Nam Core etiam uolebat magnifici opera sua coram Deo, & eo ipso peccauit contra Deum & gratiam, hoc neutiquàm ferendum erat. Omnia peccata sunt tolerabiliora, quæ sinūt regnare & dominari gratiam, sed de hoc satis.

I N I O N A M

Sed quid Ionam mouit, ut detrectaret mādaturū tantum, & quòd tam inuitus sequitur uocationem hanc & missionē ad Niniuitas, uariè recensentur à theologis causæ: primū terrebat difficultas mandate prouintie, & nimis noua insolita & difficilis uidebatur uocatio, quòd sine exēplo præ omnibus alijs prophetis, mittitur in peregrinū regnum ad tantū Monarcham. Neq; enim legitur, quòd Deus ullum alium prophetā, extra regnum Israel in tam longinquam terram ad externa regna miserit. Cum igitur hoc adeo nouum & insolitum sit genus uocationis, attonitus quoq; stupefcit propheta, & quid cogitet quo se uertat, nescit. Cum enim aliās carnis & sanguinis ea sit infirmitas, ut nunq̄ sine magna lucta & agone possit se p̄mittere Verbo Dei, aut sequi diuinos iussus, præsertim cum soli mihi uideo aliquid imponi præ alijs. Quemadmodū Petrus respiciebat ad Ioannem, Domine, inquit, quid autem hic? Adeò initio non uidemus plane ineuitabile esse imperium, cum Deus aliquid iubet, quemadmodum hic cernitis in Iona. Hic initio non libèter relinquit patriam & cognatos, nihilosecius stat immotum Verbum Dei, tandem idem Ionas in profundo maris, in abditiſſimis immanis beluæ uisceribus (quod uel auditu horrendum est) iacere cogitur, ter absorptus & planè solus, ubi tamē omni spe carnalis auxiliij,

xilij exiit, ubi tamen relinquendum ei fuit, sic om-
 ne presidium creature, quasi in coelo & terra ni-
 hil esset quam Ionas & Deus. O hæc est grauis lu-
 cta. Quidam etiã existimant carnali metu tanti re-
 gis fugisse Ionam. Alij etiam ideo eũ mandatũ recu-
 sasse, quòd metuebat ne prophetiam non sequere-
 tur euentus, quemadmodum etiam accidit. Metu-
 isse enim putant illi Ionam, ne haberetur pro falso
 propheta, qui non ex Deo esset, sed hæc causa nihil
 est. Ignorabat autem Ionas quid esset futurum, cum
 quarto capite dicat, sedisse eum è regione ciuitatis,
 & expectasse quid ei accideret. Ex quo conijcere
 licet quòd expectauit redigendam in cineres urbẽ,
 exemplo Sodomæ & Gomorræ, atq; ideo etiã sto-
 machabatur, quòd hoc non fieret. Hinc conijcere li-
 cet ideo ipsum fugisse & detrectasse mandatũ, q̃
 odio habebat Niniuitas, & adhuc carnali Iudaico
 affectu laborabat, quasi Deus tantum Iudæorũ, &
 Israelis Deus esset, non gentium. Et cogitauit Io-
 nas Niniuitas nõ esse dignos gratia & uerbo Dei, cum
 nõ essent de Repub. Israelis, aut populus Dei. Quẽ
 admodũ etiam Apostoli laborabant hoc carnali affe-
 ctu, quasi Christi regnum corporale futurum esset,
 & postea cum cognouissent spirituale futurum, ta-
 men putabãt ad solos Iudæos pertinere, & nõ esse
 predicandum Euangelium, seu hoc regnũ Dei gen-

tibus, & predicabant tantum Iudæis, donec per uisionem Petro, in Act. 10. deinde per manifestam uocationem & missionem in gentes Pauli & Barnabæ, in Act. 13. deinde per miracula & conciliū, in Act. 15. decerneretur Dei uoluntatem esse, ut Euangeliū etiā predicaretur in gentes. Hoc enim difficile creditu erat, & admodum ægre persuaderi poterat Iudæis, extra regnum Israel ullam aliā gentem esse populum Dei, cum tota scriptura tot locis testetur solum Israelē, & semen Abraham esse electum populum, esse peculum & thesaurū Dei, solisq; Iudæis legem Deus, cultum, uerbum et prophetas dedisset. Hoc adeo sibi non patiebantur extorqueri Iudæi, ut ob eam unam causam, Paulus epistolam hanc insignem scripserit ad Romanos, ubi tanto acumine, tot testimonijs scripturæ, tot firmis & potentibus argumentis euincit, Deum non esse solum Iudæorum Deum, sed & gentium. Id enim in hunc diem obstat Iudæis, quo minus credant gentes æque esse populum Dei ac Iudæos. Eiusmodi affectus & Iudaicus zelus hic quoq; est in Iona, & conijcitur optimus uir in tantam necessitatem & luctum, ut primū hac uehementissima tētatione castigatus, adeoq; externæ rei hederæ scilicet similitudine & magnifico miraculo Dei eruditus, tandē discat Deum non reijcere urbem gentilem Niniuen, & habere N

ninita

ninitas pro populo. Quemadmodum nunc Christus discipulis suis condonauit carnalem illum affectum de predicando regno Dei solis Iudæis: ita etiã Ione condonat suas carnales cogitationes. Nam, ut exemplo utamur domestico & recenti, quàm difficile nobis hactenus fuit credere ullum esse usquã Christianum, qui non esset sub Papa, cum tamen pro primatu Papæ nullum firmũ scripturæ locum, sed tantum humana commenta, & scripturã impudenter detortam haberemus. Quid futurum erat, si pro Papatu, tam clari, aperti, & firmi scripturæ loci extarent, quales infiniti pro Iudæis extant, quæ tunc pro abominatione mera habituri essemus Turcas, Iudæos, gentes, & solum Papatum defensuri. Ita quoq; accidit Ionæ in Iudaismo et regno Israel. Atq; hoc est, quod quarto capite dicit se ideo fugisse quia sciret Deum esse misericordem &c. Quibus uerbis satis indicat se moleste ferre tantam esse misericordiam Dei, ut Ninitas quoq; respiciat, ideo Ionas ait malle se mori, quàm eam gratiam quæ proprie promissa erat Israeli, predicare, & uulgare in gentes, quæ neq; Verbum Dei, neq; cultũ, neq; prophetas habebant, sed ut abominabiles Idololatræ toti contra Deum, Verbum Dei, & populum Dei esse uidebãtur. Sic autem affectum fuisse Ionã, ex hoc clare patet, quòd Deus hanc eius carnalem

cogitationem & indignationē obiurgat, Non parcerem, inquit, Niniue &c. Vbi satis indicat Ionam moleste tulisse, & ideo stomachatū, quòd Deus parceret urbi, & non funditus euerteret, quemadmodū ipse predicarat, & iam expectabat. Sic hæc historia debet nos maxime consolari, & docere uim diuinæ bonitatis, non facile scilicet iudicandū esse aut desperandum de ullius hominis salute. Ionas enim adeo implicatus hæret hac prosopolepsia, ut Niniuitas præ Israele planè contēnat, ideo etiā audacter & confidentissime eos ut peccatores abominabiles, damnans ac prorsus desperans de eorū salute, nihil expectat quàm certissimū eorū exitum. Cogitat enim sic quomodo Deus respiceret hos peccatores, qui neq; legem, neq; cultum Dei habent. Si autem ipsi quoq; sunt participes gratiæ, quid tunc profunt Israeli, lex Mosi & tot ceremoniæ. Si enim Iudæi non habent prærogatiuā præ gentibus, quis tunc usus est legis aut ceremoniarum? aut quid Iudæi pondus diei portant et æstū, cum gentes sine tali labore nihilominus accipiant denarium? Quis non iure hic murmuraret? Impossibile enim usum est Ionæ, ut Deus præ Iudæis gentes respiceret.

Sed uide quàm turpiter hic errat, longissimèq; fallitur hic tantus propheta. Nam dum putat fieri non posse ut Deus respiciat Niniuitas, & alienissimos

mos esse à Deo & gratia, nihilq; ibi esse, quàm irā,
ibi maxime exerit se bonitas Dei. Et quos putat a-
uersaturos et minime audituros Verbū Dei, hi sum-
ma humilitate, & summo cordis ardore accipiunt
Verbum. Discit ergo tantus propheta nunc primū
per experientiam, neminem esse iudicādum, de nul-
lius salute esse desperandum, fallere q; carnalem il-
lam & Iudaicam cogitationem, quasi Deus perso-
nam, modum, tempus, meritum, aut quicquā eius-
modi respiciat. Secundo, ut discamus non diu dispu-
tandū esse de uerbis aut operibus Dei, sed rectā se-
quendū esse, quo nos diuinæ uocis iussus ducit. Neq;
enim hæsitare debemus, aut inquirere quare Deus
hoc iubeat, nec hoc exigere ad examē rationis, neq;
morari quòd absurdum uidetur in oculis nostris,
sed obedire debemus, & libenter stultescere pro-
pter Deum, ei q; prolixè, & tribuere laudem sapi-
entia & iustitiæ, in omnibus uerbis & operibus.
Quemadmodū Abrahamā fecit, qui cum iuberetur im-
molare filium suum Isaac, non considerauit quā
hoc priori promissioni pugnaret, qua dictum erat,
in Isaac uocabitur tibi semen &c. quia quo diutius
secundum rationem disputasset secum, eo longi-
us aberrasset à uero & uoluntate Dei, & eo fa-
cilius prolapsus fuisset in inobedientiam. Sicuti hic
accidit Ionæ, qui dū accuratius confert inter se pro-

missiones factas Israeli, & Ethnicismū impium Niniuitarum, & omnia expendit circumspecte, maxime offendit per inobedientiam Deum. Si autem simplici corde sic cogitasset, quid ad me? quod Deus Israeli dedit legem, cultum Dei, & prophetas Niniuitis non dedit, tamen diues est in omnes, & utrinque potest saluare, tamē potens est Israelē iustificare absq; operibus & Mosaico cultu, & Niniuitis non imputare suum Ethnicismū. Quid ad me, quod Israeli dedit legem, alijs gentibus non dedit. Quilibet maneat ut uocatus est. Misericordia nihilominus ex aequo continget & his qui sunt sub lege, & qui sunt sine lege: quemadmodum Paulus Romanos docet. Sic Ionas mansisset obediens, quemadmodum & Abraham obediens fuit.

Et Dominus suscitauit uentum magnū, & facta est tempestas magna in mari, & nauis &c.

Hic propter peccatum unius, reliqui omnes dantur poenas, nam propter Ionam exoritur hæc tempestas. Sed forsitan quæras nū inustus sit Deus, qui propter alienum peccatum in alios animaduertit. Respondedo, Deus non potest esse iniustus, neq; à quoque accusari potest Deus. Nemo enim nostrum legem habet præscribere Deo, aut mandare ei. Vbi

tem n

tem non est lex, ibi nec praeuaticatio, nec quicquam iniustum. Verum, quamuis propter unum Ionam haec tempestas oritur, quemadmodum fatetur & res indicat, tamen ideo reliqui non sunt prorsus insonites, aut plane sine peccato. Nam utique sunt homines natura filij irae, rei dānationis & mortis ex utero, quos Deus singulis momentis ex solo originis peccato damnare posset: nam quis coram Deo mundus est? Ideo simul corripit eos cum Iona, quāquam Iona in primis causa sit. Et haud dubie tempestas subita fuit, quae repente ex improviso ingruens, attonitos reddit omnes. Cum textus clare dicat, quod Deus maximū uentū proiecit super mare. Sic enim sonat Hebraeum uocabulum, quasi diceret, proiecit tanta uolentia, tanto impetu irruit tempestas & uentus, quasi subito proiectus et rotatus esset. Ideo etiā mox sentiebant praeter naturam hanc insolitā exortam esse tempestatem, ideo & uehementer terrentur, & protinus cogitant, unum qui una in naue uehere peccasse, ideo & Ionas mox sentit se peti.

Et timebāt nautæ, & clamabāt unusquisque ad Deum suum, & iactum fecerunt.

Hic uides uerum esse, quod Paulus Rom. 1. dicit, quod de Deo cognosci potest &c. manifestum est

I N I O N A M

in illis, Deus enim illis manifestavit. Nam omnium
hominum mentibus hoc insculptum est, ut cognoscant
esse Deum, & naturalis ratio, quæ communis est om-
nium hominum, sentit diuinitatem esse, excellens
& maximum quiddam præ omnibus creaturis.

Huius rei hic argumentum habes, quod hi Ebraei
Deum inuocant, quibus tamen nihil prædicatum est
de Deo. Nam si prorsus nulla fuisset in eis cog-
nitio Dei, quomodo in necessitate inuocassent Deum,
aut clamassent ad eum. Quanquam nunc non uere
credant, nec cognorint Deum, tamen illa cognitio
generalis est insculpta ipsorum mentibus Deum esse,
eiusmodi quandam summam substantiam, quæ terra ma-
riq; iuuare possit, et omnibus necessitatibus. Hæc scien-
tia & cognitio scilicet, quod omnes homines tra-
ditura sentiant esse aliquem Deum, omnium hominum
cordibus est insita, nec unquam, ne in impijs qui-
dem, potest prorsus deleri aut extinguere. Fuerunt quidam
deus & dei quidam, qui palam negarunt esse Deos,
ut Epicurei & Plinius, hi & similes ore tenus ne-
gant, & quasi uim inferentes naturæ, ipsi hanc scien-
tiam in corde suo conantur extinguere, & hi qui-
dem haud aliter faciunt atq; illi, qui aures ultro ob-
turant ne audiant, aut oculos claudunt ne uideant
Solem. Sed tamē non sunt excusabiliores, nam con-
scientia eorum intus reclamat aliud, nam Paulus no-
mentitur

mentitur cum dicit, Deus illos manifestauit, adfirmans aliquam in omnibus esse cognitionem Dei.

Hic autem discamus etiam, quatenus lumen naturæ et ratio assequatur, quid de Deo sentiendū sit. Nam hic aliqua ex parte recte sentiūt hæ gentes de Deo, ipsum esse tale numen, quod ab omni malo eripere possit. Ex quo cōsequitur, naturalis ratio confiteri cogitur à Deo omnia bona provenire. Qui enim à malis omnibus eripere potest, ille etiam bona omnia potest donare. Eatenus igitur procedit lumen naturæ et ratio, quod Deū fatetur esse, deinde bonum, clementem, misericordem, erga omnes beneficium esse sentit. Hoc sane magnum lumen est, sed tamen hæc adhuc non est uera cognitio Dei, duo enim desunt. Nam rationalis aut psychicus homo, sentio quidem Deum esse tam potentem et sapientem, et in omnibus periculis iuuare, et omnia bona donare possit. Quod autem paterne erga nos sit affectus, et propensissima ac optima uoluntate erga me, qui nunc affligor, hoc non potest assequi natura, ibi nihil certi apud se statuere potest humana ratio. Potentiam igitur ut cunq; sentit et agnoscit, sed de bona uoluntate Dei dubitat. Nam tempore afflictionis rationi nihil minus uidetur esse uerū, quàm ijs quibus male est, bene uelle Deū. Huius rei uides hic argumentum in illis gentibus, nam clamant ad Deum,

fatentur Deum quidem posse iuuare, si uelit. Credunt etiã quod alios forsan bonos iuuaturus esset, eatenus enim & non ultra euadit humana ratio. Quod summis igitur liberi arbitrij & rationis uiribus omnino fieri potest, hoc faciunt miserrimi illi & naufragi homines, & tamen non cõstanter confidunt, neq; credunt Deum uelle subuenire, quia si hoc crederent, tunc non per desperationem iacturam facerent, non sic anxij & conterriti accurrissent ad Ionam, exhortantes ut Deum suum inuocaret, sed in silentio & patientia expectassent auxilium Dei. Adhuc si qua fuisset in eis fides, consiliiisset ad preces credentium mare & esset tranquillitas. Vera igitur cognitio Dei est, quæ certo statuit Deum non modo alios, Petrum & Paulum, sed & me qui nunc affligor, mera bonitate uelle iuuare. Eademum est uera fides, & excellens ac incomparabile donum spiritus sancti, ut in Iona uidebimus.

Secundo, discamus rationem quidem cognoscere, quod sit aliqua diuinitas, at tum demũ falli, cum incipit statuere quis, aut ubi sit uerus Deus. Per legem nature igitur mentibus insculptam, sentit ratio Deum esse. Quis autem sit uerus ille Deus, hoc ignorat. Sic Iudæis quoq; contigit, cum Christus uerifaretur in terris, et Iohannes predicaret, In medio uestrum stat, quem uos nescitis &c. Sic quidẽ apud
se statue

se statuebant uerum Messiam iam in medio populi esse, quis autem esset ille Christus, ibi fallebantur. Nam Iesum illum ex oppidulo Nazareth esse Christum, hoc ipsis ne in mentem quidem ueniebat. Sic ratio quoque incerto quodam & caeco iudicio, de diuinitate pronunciat, & ubique impingit, ubique turpissime fallitur, ut hoc uocet Deum, quod non est, e contra neget esse Deum, quod uere est Deus. Nihil autem horum faceret, nisi per legem naturae, sentiret Deum esse, aut si certo statuere posset, ubi & quis esset uerus Deus. Ideo temere irruit ratio, tribuitque nomen & gloriam, diuinitatis rebus, quas ipsa eligit, atque ita longe aberrans à uero Deo, suas opiniones & uanos cogitatus sequitur, & deluditur à Sathana. Proinde longe differunt scire quod sit aliquis Deus, & scire quid nam, et quis sit ille Deus. Prima cognitio inscripta est omnium mentibus per legem naturae. Alteram tantum docet spiritus sanctus.

Exemplum in Papistis, monachis & similibus, illi habent eiusmodi quandam opinionem de Deo, quasi Deus sit tale quoddam numen, quod delectetur & placari possit nostris bonis operibus. Quare etiam illam uarietatem & tantum splendorem caeremoniarum in templis, tot sectas, tot cultus, tot genera uite inuenerunt, quibus inserviant & placeant Deo. Cum nunc talis Deus, tale numen nusquam sit, quod

eiusmodi rebus delectetur. Cedo, quid illi aliud adorant, quam falsam opinionem, & idolum cordis sui. Nam quod ipsi somniant non est Deus, aberrant igitur cogitationes & corda ipsorum à uero Deo, & sunt uacua spiritu, & cognitione Dei, & huic suae cogitationi, & conceptae imagini tribuunt nomen & gloriã Dei. Sub ea autẽ falsa opinione de Deo, latet Sathan, qui eam suggerit.

Nam Deo unico & uero non seruitur operibus, sed uera fide & corde puro, & is suos credentes gratis absq; operibus & meritis iustificat. Hoc tamen hypocrita non credunt, ideo etiam prorsus ignorant Deum, & contemnunt, & à uera cognitione Dei longissime aberrant.

Hic uides originem omnis Idololatriæ in mundo, & qua in Germanico Idolum & Idololatria, abegot, & abegotterey appellantur, haud dubie nulla alia causa, nisi quod eiusmodi concepta opinio auocauit nos à uero Deo, ueraq; religione. Nam cum quilibet hypocrita adoret Idolum cordis sui, putat huic esse cultum Deo gratum quem ipse somniat, cum tamen Deus non sit sic affectus, neq; hoc cultu delectetur. Ideo tot sunt Idola in mundo, quot sunt eiusmodi hominum cogitationes, quasi hoc uel illud Deo placeat, cum tamen tantum unus sit cultus Deo placens, nempe uera fides, quam in cordibus operatur spiritus

COMMENTARIJ.

Spiritus sanctus. Sic tēpore regis Achab, cœpit Idolatria Baal. Nam cum rex sciret unum esse Deū, cogitauit illum Deum talem esse, qui delectaretur eiusmodi cultu, qualem tum cœperat, & sic Deum uocauit Baal, & e contra sub nomine Baal seruiuit Deo, sicut hoc ex Osea cap. 2. apparet. Ita rex Hieroboam putauit Deum esse talem Deum, qui delectaretur illis statuis aureis uitulorum, & hoc cultu: & uitulos uocauit Deum Israelis, & e contra Deo attribuit uocabulū uitulorum. Perinde ac si iam Papistæ Christum Dominum nostrū uocarent Germanice Kappenhold, uel Plattenhold, eo quòd cogitant eum talem esse Deum, qui cucullis Monachorum & caluitio uel rasis uerticibus delectetur, qui talibus ceremonijs, tali cultu placetur. Nam licet illi eum non sic appellitent, tamen corde & affectu hoc titulo eum insigniunt. Nam talibus suis somnijs Papistæ longe aberrant à uero Deo, & ex Christo faciunt merum Idolum. Sic falsorum cultuum et Idolorū infinitus est numerus. Quot enim sunt somnia, cogitationes & bonæ intentiones, tot sunt Idola, & non est uera religio aut uerus cultus, quàm fides. Cum autem talis Deus, qualem humani cordis somnia fingunt aut formant, nullus sit, seruitur his cultibus Sathanae, & non Deo.

Sic hic uides, quòd hi homines in nauis omnes qui-

IN IONAM

dem sciunt aliquem esse Deum, sed nullum certum Deum habent. Nam quilibet (inquit hic Prophetas) inuocabat Deum suum, id est, Idolum cordis sui, et hoc humane mentis somnium de Deo. Ideo etiã omnes aberrant à uero Deo, & habent mera Idola sub titulo & nomine Dei. Ipsorum igitur fides & inuocatio non erat fides, sed uana & uaga cogitatio de Deo & Idololatria, quæ nihil eos extrema iam patientes iuuabat. Nam cum ipsorũ Deus non sit Deus, ideo frustra eum inelamant, et in necessitate tanta deserti prorsus desperant, planeq; stupefacti & dubij, ubi inueniant aliquem Deum qui ipsis auxilietur: descendunt ad Ionam, quem repente excitantes, obsecrant ut suum Deum inuocet, si forsan sit aliquis alius Deus, quàm is de quo ipsi somniãt, qui naufragos seruare possit. Ibi uidemus hypocrisim, somnium cordis humani, breuiter falsam fidem in eiusmodi tentationibus mortis non consistere, sed deficere, ibiq; in tantis terroribus ac pauoribus demitti Deum & fidem, Idolum & fidutiam Idoli, ut nihil maneat quàm pauor & desperatio.

Ideo solus uerus ille & unus Deus iure gerit hunc titulum, adiutor in tribulationibus, Psal. 10. & 45. quia solus potest è morte eripere, Psal. 67. Proinde uides etiam quàm humiles & deiecto animo sint in nauì homines, sic ut in necessitate ad Ionam cur-

rant, quem tamen paulò ante mari adhuc tranquillo contemnebāt, & si ante rescuissent esse Iudæū, adhuc contemptiorem habuissent. At occurrente necessitate, cum ab Idolis suis deseruntur, quàm repente & amice complectuntur hunc uilem & miserū Ionā, quàm fiunt ei ex animo supplices, quàm ibi cito obliti suorum Idolorum, & omnis religionis suæ, tantum apud Ionam quærunt opem. Sic faciunt omnes hypocritæ, rebus secundis nihil est illis arrogantius, nihil superbius, adeo ut supra Deū, et omne quod Deus uocatur sese efferant, & quouis ferro, quouis adamante sunt duriores. Verū ubi incidit aliqua calamitas aut periculi metus, tum subito uideas illos Gygātes turpiter cadere animis, plane ἔξαρρημένως, ut nulla mulier sit illis pauidior. Ibi tum ad sybilum aridi folij terrentur, ibi tum apud omnes sine discrimine, sint amici uel inimici, opem & auxilium quærunt.

Ionas autē interim dormit in interiore naue, nec sentit hanc tempestatem. Iste tam altus somnus, præ ambulū mortis potius meretur dici, quàm somnus. Nam & Ionas non multo post, ueras mortis angustias, & horrendos pauores expertus est. Sed sic se habet res initio cum peccatoribus, et Deus in hunc modum differens poenā, aliquandiu dissimulat, quæ admodum hic facit cum Iona. Ionas ualde grauitex

IN IONAM

peccarat. Interim autem quod Deus fileat, & non in-
 fligit poenas peccati, tum ea est peccati natura, ut
 hominem obstinatorem & hebetiorem reddat, ut
 sine timore Dei securus, quasi alto somno consopi-
 tus stertat, nec uideat quanta tempestas impedeat,
 quae eum repente excitatura sit. Deus autem ideo
 extrahit poenam & ultionem, ut probet & tement
 nos an uelimus conuerti, & quid sit in filiis homi-
 num, ut Psalm. 10. dicit, Palpebrae eius interrogant
 filios hominum. At ibi nulla sequitur conuersio, nul-
 la resipiscencia. Ionas quamuis peccarit grauius,
 dormit & stertit, et perpetuo sic securus esset, nec
 unquam cogitaret de magnitudine sui peccati, si Deus
 fileret. Hoc enim innuitur hic, quod Ionas in maxi-
 ma hac tempestate, tam profundo somno consopi-
 tus stertit, & in interiori nauis parte iacet: signifi-
 cat hac imagine Deus Ionam plane occaecatum, ob-
 stinatum, & peccati quasi lethargo quodam obruta-
 tum esse, nunquam agnosciturum quid patrarit, nisi
 si Deus sic reum ageret, et percuteret conscientiam.
 Nam ea natura est peccati, quod magis hebetet &
 occaecat hominem, nulli motus sunt ad bonum in ue-
 ribus liberi arbitrij aut rationis, qui ibi uincere pec-
 cati uim possint. Sic hic quoque iacet, & quasi pecca-
 ti sui quodam somno consopitus Ionas stertit, nihil
 uidens nec sentiens, quantus furor diuinae indigna-
 tionis

tionis ei impendat. Sed cum nauta eum excitat,
& iubet eum inuocare Deum suum, ibi per omnia
alium uideas Ionam, ibi primū, ueluti subito & hor-
ribiliter conterritus sentit iam suo iugulo admotam
trompheam diuinæ iræ, nec oblitū esse Deum quid
admisit Ionas. Ibi secum luctari incipit conscius
sceleris animus, ibi primū, ueluti repente erumpens
ignis, reuiuiscens peccatū, incipit seuire, furere, &
æstuare, ibi letale telum, ueluti diuina dextera con-
tortū, heret fixū in corde Ionæ, ut nihil quàm mor-
tem & iratum, ac per omnia damnantem Deū sen-
tiat, ibi primum uere fugere, & totus stupefactus
quo in cælo aut terra fugiat aut hæreat, nescit tri-
stissimus, & miserrimus Ionas. At qui tantus san-
ctus inquis, hic confidenter inuocat Deum? Inuoca-
ret autem sic totus exanimatus metu, sentit enim et
conscientia illi suggerit, se hac tam horribili tempe-
state & manifestis diuinæ iræ signis peti. O quàm
per omnia ex animo humilem & submissum se ge-
rit sic percussa mēte Ionas. Omnes quotquot in na-
ui sunt, etiam Ethnicos illos insontes pronuntiat, et
non ducit esse peccatores, omnes sanctiores se esse
ducit, nullius peccatum uidet præterquàm suum. Sic
enim affectus semper est, tētatus & afflictus homo,
cum tentatio urget & seuit, cum conscientia tenta-
tionis impetu quatitur, omnes homines existimat se

IN IONAM

sanctiores, & tantum se esse peccatorem, ibi tantum
super se solum putat inundare totum mare, iræ &
furoris diuinæ, iuxta illud Psal. Omnes fluctus tuos
induxisti super me: nec esse ullum alium qui sic op-
pressus & obrutus sit tanto diluuiio iræ, sed se so-
lum & unum esse sub magnitudine iræ conculcatum &
pessundatum, & moestissimum ac miserrimum sub sole.

Eundem in modum operatus est in Adam & Eua
cum peccarant. Nam nisi audissent uocem Domini
Dei, deambulantis ad auram & c. nunquam peccatum
agnouissent: cum uero audiunt, abscondunt se. Ge-
ne. 3. Sic etiam Petrus cum negasset Christum, plura
ne etiam obstupuit, nec sensit se aut peccatum suum.
Stertebat enim eodem somno securitatis, quo Iona
at cum Christus eum respexit, ibi primum sensit pec-
catum & fleuit amare. Sic uidemus hic exemplum,
quomodo peccatum hominem excæcat, & plane de-
omnem sensum iræ, aut bonitatis Dei stupidum red-
dit, ut plane securus & sine Deo sit, donec Deus
hoc modo excitet, ut sic homo pauefactus & cõter-
ritus, clare uideat & se & liberum arbitrium nihil
esse quam aridum folium ad turbinem iræ diuinæ.

Cum nunc Ionas non inuocat Deum suum, sed pla-
uescit & contremiscit ad hanc tam horribilem fac-
ciem iræ diuinæ, iamque in media mortis angustia, ome-
ni momento illum deuorat, & misere trepidat, que
undique

undiq; eum implicatum & constrictum tenet. Cum etiam illi homines frustra inuocant Deos suos, & omnia tentant. Ionas sentit quidem, & nimis sentit propter se hanc tempestatem exortam, sed tamen adhuc fugit, nondum peccatum ingenue cōfiteatur, & illos omnes qui in nauī sunt, patitur tantis interim periculis & terroribus concuti, donec Deus toto (ut Poëta ait) ponto se opponens Ionæ, missione sortis eum prodit, & magnitudine tempestatis insolita confessionem extorquet.

Hoc quoq; est peccati proprium, ut obmutescat peccator, nec ausit hiscere aut libere profiteri flagitium, quia tunc cum maxime & uehementissime sentitur peccatum, maxime pudet & poenitet nos nostri, & undiq; immundi quærimus fucum & pretextum. Quemadmodū Adam & Eua perizonata querebant, & omnia citius uidebantur facturi, quam peccatū prodituri. Dicit nequit quā hoc omnino durissimū & acerbissimum sit, ut cum ipse me accusare debeo, & ipse meum proderet scelus. Et tamen Deus hanc confessionem postulat, aut nulla unquam futura est tranquillitas, quemadmodū Psalm. 32. dicit, Cum obticerem peccatum, inueterauerūt ossa mea &c. Sic Dominus quoq; iubet filios Israel deponere ornatum ante montem Synai, Exod. 34. Hoc demum uere est saccum induere, et sedere in

IN IONAM

cinere & puluere, seipsum sic accusare et damna-
re coram Deo, & si Deus postulet etiam coram ho-
minibus. Quia enim hic Ionas suo peccato homines
alios in nauī, in tantos terrores & tantam calami-
tatem & periculum coniecerat, cogitur rursus fa-
cere iacturam, non modo honoris & gloriæ, dum
palam ipse prece est sui peccati, sed & salutis &
corporis cogitur alios pronuntiare infontes, ferre
sententiam in seipsum, & sic capitalē tandem mis-
sione sortis proiectus è nauī, solus ferre tempestatē.

Luit igitur Ionas mirabili iudicio Dei in corpo-
re, in bonis, in iactura gloriæ, et suaipsum uoce pro-
clamatus peccator, breuiter in omnib. quæ usquam
habet, quia proximos suos in eisdē rebus tam graui-
ter lesit. Ionas igitur illos suos socios inuitos, ad-
duxit in maximū discrimen uitæ & salutis. Ecce
ipsi Ionam sua uoce ferentem sententiam & uolen-
tem, inuiti proijciunt in fluctus. Næ hoc iudiciū Dei
est exactum & mirabile?

Et dixit unusquisq; ad collegā
suū, Venite & mittamus sortes, et
sciamus quare hoc malū sit nobis

Cum nunc hic nemo sponte uult profiteri pec-
catum, & tamē omnes in nauī cogitant aliquē esse
in eo numero, qui insigni aliquo scelere Deum of-
fenderit

fenderit, tam horribilem tempestatē sic repente im-
mittentem. Cum ibi iure pro tribunali aut foro res
discuti non possit, nec ab homine dijudicari, recur-
runt ad Dei sententiam, & missione sortis quærūt
quis reus sit. Ibi haud dubie præ pauore & tremo-
re tantum, non concidit Ionas, ibi proculdubio ad-
missionem sortis exanimis expalluit (nihil est enim
pauidius quàm conterrita mens, quæ etiam sybi-
lum folij cadentis ut tonitru refugit) tot horribi-
les mortes, tot incredibiles acerbitates, & angu-
stias in se complectitur hoc progymnasma Ionæ, et
adhuc ad acerrimum agonem, ad ceti fauces nondū
uentum est. Ecce in tot infinitas misérias cōiicitur,
quando peccatum adhuc celare uolumus & conte-
gere, cum duplici damno postea cōfiteri cogimur
sed ea est natura peccati et peccatoris uelle latere.
Sic omnes sumus affecti, omnes coram hominibus et
mundo uolumus esse iusti, & tamen intus à peccato
non desistimus, ideo ferre cogimur, ut ab alijs tan-
dem in lucem proferatur peccatum nostrum, & eo-
ram Deo et hominibus pudefiamus. Nullum uulnus
potest sanari nisi retegatur, ita nullū peccatū remit-
ti potest, nisi ingenua professiōe hoc patefaciamus.

Hic nunc quæritur an illi homines in nauī etiam
peccauerint, mittentes sortem, cum sortes mittere
prohibitum sit, scilicet ne Deum tentemus. Verum

IN IONAM

Ionas hic unā cum cæteris misit eam sortem: ideo si
 hi qui mittunt sortem, in uitio sunt, & Ionas pecca-
 uit. Ad hoc respondeo primum: Sunt quædam ope-
 ra quibus bene & male uti possumus, ut iurare pro-
 hibet Christus Matth. 5. & tamen licet iurare in iu-
 dicijs. Ita irasci & occidere prohibitū est, & tamē
 magistratui qui gladiū gestat licet animaduertere
 in flagitiosos. Ideo in talibus operibus est respicien-
 dus affectus cordis. Nam is qui ex quadam carnali
 libidine iurat, is peccat: qui autem ex mandato aut
 obedientia Dei, aut aliās ex necessitate urgente, ad
 commodum proximi ea opera facit, is non peccat.
 Eos nunc qui quadam libidine aut prauo affectu
 iurant aut sortem mittūt, hos missos facimus. Nam
 hi qui sic sine fide sunt, semper peccant, etiam si fle-
 xis genibus Psalmos orent, etiam si diu noctuq; iei-
 iunent, aut miracula faciant. Ideo relictū sit cuiuslibet
 conscientia. Nos non possumus hominū intro-
 spicere corda. Cum nunc sortem mittere etiā sit ta-
 le opus, nihil refert quæerere an illi homines in ma-
 ui unā cum Iona peccarint. Nam aliās fuerant incre-
 duli & Ethnici, & aliās omnia ipsorum opera dis-
 splicuerunt Deo, donec postea conuersi sunt, ut se-
 quitur. Deinde ego adhuc non statuo, quod mittere
 sortem sit impium. Impium quidem est, & contra
 præceptum Dei, tentare Deum: at tentare Deum,
 & sortem

& sortem mittere, ualde sunt disiuncta & diuer-
 sissima. Nam & Apostoli sortem miserunt super
 Matthiam. & Salomon dicit, Sortes mittuntur in se-
 num, & à Domino temperantur. Ibi Salomon non
 damnat missionē sortis, imò confirmat. Quanguam
 aliqui ex scriptoribus contendant hæc exempla nō
 esse imitanda, sed eius sententiæ suæ non afferunt
 firma argumenta. Equidem existimo missionē sor-
 tis, esse opus fidei, quo tamen ex libidine aut prauo
 affectu aliqui abutantur nonnunquam: ut multi abu-
 tuntur iuramento & potestate gladij, sed ibi uitium
 est non in opere, sed in persona, ut dictum est. Ad-
 hæc non probant scripturis illi, quòd sortem mitte-
 re sit tentare Deum. Nam tentare Deum est, quan-
 do ex humana libidine aut curiositate, non cogente
 ulla necessitate, præscribimus Deo tempus certum,
 modum, personam, locū, ut operetur scilicet, & iux-
 ta nostrum captum, & rationi nostræ humanæ se-
 attemperet. Quemadmodū Israelitæ in deserto ci-
 bum & potum postulabant, tunc dari cum ipsis li-
 buit, non credentes, nec ex animo permittentes se
 Deo. Quemadmodum Iudæi Matth. nono, signum
 de caelo postulabant: at in missione sortis hoc non
 fit, sed ibi duo, aut tres, aut plures paciscuntur &
 conueniunt de aliquo negotio, sorte finiendo (ut ua-
 rie sunt rationes & modi sortiendi) nec eligūt cer-

tam personam, sed permittit Deo sortis euentum.
 Et de hoc tantum conuenit inter eos, ut ille sit electus à Deo, super quem sors ceciderit. Verum etiã sine Deo sortem mitti non inficiamur, ut si gentiles mittant sortem qui non credunt eam à Domino temperari, sed omnia fortunæ tribuunt, ut in tessera et alea fit, & ludis illis qui in fortunæ sita sunt arbitrio. Christianos autem aliud quiddam decet, nempe non fortunæ multum tribuere, sed credere quod sors & fortuna Deo in manu sunt. Hæc omnia gubernanti, Christianos decet certo statuere, quod à Deo datur & eripitur, quicquid sors aut fortuna dat aut eripit. Nam & iuramenta sic præstatur & acceptantur, quod Deus creditur adesse, qui iuramentum audit & uidet, & peierantem indicaturus sit. Verum, quia non præscribitur ei quomodo iudicare debeat, sed res tota permittitur illi, & statum iuramento: non est tentare Deum, iurato parere aut stare. Sic etiam in missione sortis, quia non præscribitur Deo cui dare debeat ea, super quibus sors mittitur, sed permittitur illi sortem gubernanti: nunc mittere sortem non est tentare Deum, sed est per se bonum opus, & si in fide fit, est etiam commendabile, quod fit ad gloriam Dei. Et cui per sortem aliquid adijetur, is fit eius rei Dominus, & qui ei eriperet, is peccaret grauius contra Deum. Nam quid est sors aliud

aliud quam pactum, ubi de aliqua re uel lucro inter nos cōuenit, ubi commune subimus periculum, quo fors cadat aut feratur, ut scilicet ille habeat uel ca-reat, secundum q̄ par impar, uel alia fors missa ce-derit, nisi quòd Christiani hoc addunt, quòd cre- dunt à Domino sortem, ut alia omnia temperari et gubernari, quòd Ethnici non credunt. At quid sit a- lis mittatur fors, per quam quis adiudicatur morti, aut qua alicuius occultum scelus proditur in lucem, ut hic in Iona fit, & quemadmodum Saul facit cum filio Ionatha, & ut Iosua cum Achan, Iosue. 7. Hic respondeo, etiamsi infideles mittant sortem, qua quis morti adiudicetur, etiam si flagitiose abutatur sorte. Quid nostra refert quid hi faciant, qui cum extra fidem sint, nihil recti faciunt. Sortis missio per se hoc non habet, ut quemq̄; damnet ad mortem. Pij & Christiani etiã in his casibus non mittent sor- tem. Adhuc hi homines in nauì non cogitãt hac sor- tis missione, adiudicare morti Ionam, sed querunt tantum causam tam repentinã & subitã tempesta- tis, ideo ne iussi quidem à Iona, eum occidere uo- lunt, sed appellere conantur ad littus. Cum autem uident se non posse pertingere ad portum, uident hanc sic plane esse uoluntatem Dei, ut Ionas ipse iusserat, & inuati ac tristes proijciunt Ionam, oran- tes & deprecantes reatum sanguinis &c. Saul au-

I N I O N A M

tem rex peccauit, quod uoluit occidere filium, non enim sic debebat abuti sorte. Cum Iosua autē secus habet, hic enim habuit hoc uerbū Dei et iussū. Quare autem hi homines non pactum facerent, ut ille haberetur reus super quem sors caderet? præsertim cum necessitas urgeat, & periculū imminentis naufragij, quo tot erant perituri, præsertim cum Deus sit iustus & rectus qui sortem non sinit aberrare. Quemadmodum igitur hi extra culpam sunt, qui illum in sortem pronunciant, qui iureiurando suā asserunt innocentiam, etiam si fors san peieret, ita & hoc casu res habet, sed de hoc nunc satis dictum est.

Ego sum Hebræus, & Deum cœli timeo, qui fecit mare et aridā

Hic tandem aperit se coram Deo Ionas, & in genua agnoscit se peccatorem. Ideo & hic primum incipit uera lucta, ut uere iam in angustijs mortis agonizet Ionas. Sed tamen bonam partem eius agnus decertauit, nam licet nunc fluctus illi iræ diuinæ, dolores mortis & inferni iam inundent, & magno impetu irruant in Ionam, tamen confessus peccatum utcūq; in media etiā mortis angustia, quāuis pressus respirat, & magis audet non desperare salutem. Et quæ sub maximo pondere hætemus, & tota mole, totius creaturæ pressa gemuit, nunc ut cūq; se

cunq; se erigit rea Ionæ conscientia, & rursus quasi per densas nebulas huius tātæ tentationis incipit tenuissimis scintillis micare fides. Confitetur enim Ionas Deū conditorem cœli & terræ, quod utcūq; aliquod fidei & salutis initium est. Nam alia impia & tentationis magnitudine prorsus deuicta, & oppressa conscientia, ne hiscere quidem aliquid eiusmodi potest, sed planè obmutescit, aut palàm blasphematur Deum. Neq; illa de Deo aliter affici, sentire aut loqui potest, quàm illum seuum esse tyrannum, & quouis Sathana crudeliorem: uellet igitur quàm longissime fugere ab eo, uellet nullū esse Deum, sic prementem, & quouis modo effugere cruciatus. Nescit enim confiteri, nescit agnoscere peccatum, talis iam impetu tentationis percussa conscientia. Nam sic in angustijs, quasi quodam luto, et densissimo limo profundi, infixa et demersa hæret, ut nihil sentiat quàm acerbitatem & angustiam maximam, quam excutere conatur, sed tamen eluctari non potest, & sic misere implicata ac constricta manet, tum peccati, tum etiam mortis sempiternis pauoribus ac cruciatibus. Hic ergo discamus ab hoc exercitatisimo athleta, quomodo gerere nos debemus in graui certamine, maximæ alicuius angustie et tentationis. Nihil enim tunc melius quàm si respicere ad peccatum, ut liberrime illud confitea-

IN IONAM

ris, nam mox senties refrigerium, & aliquam consolationem. Quemadmodum enim in corporalibus morbis & ægitudinibus, ante omnia oportet cauere & mederi cordi, ne obstructis meatibus spirituum cor suffocetur, postea toti corpori consulitur eo commodus. Ita in spiritualibus tentationibus ante omnia eo pendere quo premitur, oportet leuare conscientiam, ut respirare possit, & postea omnis æstus, tota illa angustia tentationis, fit remissior. Eos enim qui sunt in talibus tentationibus iræ Dei, & similibus, duæ res maxime premunt, peccatum & cruciatus, ac turbatio quam propter peccatum sustinent. Si qui nunc sunt imbecilliores, in exercitati aut imperiti tentationum, hi posthabito peccato, ibi totum sunt, ut sese explicent ac eruant ab angustia. At ibi frustra luctantur, non desinente, sed nihilominus urente & flagellante Deo: proinde plerumque illi succumbunt tentationi & desperant. Errat igitur ibi tota ratio, totaque philosophia, hinc illæ abiectione & misere desperationes magnorum hominum, hinc tot mortes uoluntariæ. Si qui autem sunt exercitati & exercitati rerum spiritualium, hi in tentationibus oculos auertunt à cruciatu & angustia, & in primis solliciti sunt quomodo peccatum confiteantur, quomodo Deum placent, etiam si perpetuo esset manendum in angustia: hi igitur sapiunt, qui se peccato

peccatores agnoscūt, se pmittunt deo, ut hic Ionas.

Impiorum igitur & hypōcritarum hoc propriū est, ut pœnam metuant, & solam exhorrescant. At peccatum non timeant nec exhorreant, semper quæ uellent impune peccare. Hoc autē neutiquā fert aut laturus est Deus, sed semper peccatum pœna comitatur. Econtra piorū hoc proprium est, ut peccatum solum metuant & exhorrescant, pœnā autem minus formident quā peccatum, mallent semper in afflictionibus sine peccato, quā in peccatis sine pœna uersari.

Quōd autem Ionas hic dicit, Ego timeo Deum cœli: est Hebraismus. Nam timere Deum, perinde est ac si dicas, colo Deum cœli. Id quod patet ex Esaiā, cap. 28. Timent me mandatis hominum, id est, colere se me putant &c. Ionas enim illa duo conuenit, Sum Hebræus, & timeo Deum cœli, cum tamē in hanc horam usq; Deum contempserit & inobediens fuerit. Seruio, inquit, Deo, qui condidit cœlū & terrā, quasi diceret: Ego colo non alienos Deos ut uos & aliæ gentes, sed unum & uerum Deum. Atq; hic primum magis eminet & proditur peccatum & flagitium Ionæ, quōd ipse ueri Dei seruus ex sancto populo, & sancta terra Iudæorum, præ omnibus his Idololatriis gentibus, tam magnus inuenitur peccator, ut propter ipsum illi gentiles in di-

IN IONAM

serimen tantum adducantur: cum e contra exempla
 multa sint, quòd propter seruos Dei, alij impij, &
 peccatores seruati, & à multis malis liberati sint,
 quemadmodum regi Ahab, & suis posteris Helias
 & Heliseus saluti fuerunt. Verum hoc inuertitur,
 illic propter bonos parcitur malis, hic impij & ma-
 li luunt, quòd peccauit pius, & fit ita sanctissimus
 pessimus, & primus ultimus. Hinc tam ualde pre-
 det Ionam peccatum suum prodere coram homini-
 bus: dolet enim turpiorem uideri gentibus, & ta-
 men cogitur tandem fateri.

Tollite me, & mittite in mare,
 & quiescet mare a uobis, quia no-
 ui ego, quod propter me fluctus
 magnus &c.

Hic nunc uideamus in Iona, quantum robur, &
 quàm planè diuina potentia sit fides ex corde pro-
 ro, & quanta eius energia. Hic nunc ponitur maxi-
 mum hoc & insigne exemplum fidei, de quo supra
 diximus, quomodo fides omnipotens sit, & inuicta
 contra omnes creaturas. Primum, propter se fateri-
 tur hanc tempestatē ortam, ibi intolerabili hac mo-
 le maximi sceleris se unum onerat, reliquos omnes
 exonerans, & alios omnes pronuntiat clara uoce
 in fontibus

infontes & iustos, tantum se miserum proclamat,
& accusat peccatorem. Hic non uulgare exemplū
edit charitatis Ionas, luens quod peccauit in proxi-
mos, quos in tanta coniecit pericula, & culpam om-
nem in se ipse deriuat. Hæc tāta charitas inuenit e-
contra, eos qui uicissitudine respondeant officij. Nā
illi boni homines non cupiunt ut adeo sese ad pedes
abijciat Ionas, libenter condonaturi peccatum, &
contenti hac confessione ingenua, totis uiribus con-
tendunt appellere ad littus, ut sic charitatem chari-
tati rependant, sed aliō uocat Deus Ionam.

Secundo, portat etiam coram Deo grauem illam
urentem sarcinam conscientie, de admissio hoc fla-
gitio, & confunditur coram oculis Dei. Cor enim
eius & conscientia nunc prostrata & conuicta ia-
cet, quod grauissime cōtra Deum & homines pec-
carit. Quam millies & infinitis modis acerbius &
intolerabilius sit coram Deo confundi, quam coram
hominibus, norunt experti tentationes. Nam ibi tūc
nulla rima, nullus locus aut angulus, in tota creatu-
ra est, ne in inferno quidē, quo possit abscondi, sed
ibi coram oculis Dei, & quasi aspectante tota crea-
tura, ut propheta ait, quasi fur deprehensus in fur-
to, à sese, à tota creatura, & omni sue mentis cogi-
tatione conuictus, obrutus ac pudefactus stat pec-
cator. Sic hic non oportet respicere Ionā ut redem-

I N I O N A M

ptum & rursus receptum in gratiam, sed sic in lucto sui peccati lapsantem & luctantem, per omnia confusum & pudefactum coram Deo & omnibus creaturis, nec in his tenebris uidentem ullam scintillam consolationis. Nam si corda piorum in tentationis hora uiderent aut sentirent ullam rimulam euadendi, non sic caderet animus, non sic pudefceret nos, non sic discrucietur conscientia. Deus autem ibi se totum abscondit, & omnem consolationem occultat, tantum ob oculos uersaretur peccatum & confusio, tunc ibi nihil est conscientia tali quicquam miserius, & afflictius.

Tertio, peccatum hic mox consequitur mors, ut peccati poena, ut Paulus 2. Corinth. 15. dicit, Lex potentia peccati, stimulus mortis peccatum. Sic hic Ionas uidet nihil restare quam mortem, ideo paratum offert se morti, & ipse sibi fert capitis sententiam, Projicite me, inquit, in mare, quasi diceret, plane mihi moriendum est, aut nulla unquam erit tranquillitas. Hic iterum non oportet nos respicere Ionam, iuxta sequentem serie historiam. Nam cum nos totam iam legamus historiam, quomodo postea liberatus sit, uidetur nobis eo leuius periculum & parum nos afficit. Sed oportet cor & affectus introspicere Ionam, in hoc tanto tentationis impetu quasi sati, qui hic ne scintillam quidem uitae aut salutis sensit, sed

tit, sed meros dolores & terrores maximos mortis, ut iam omnem spem uitæ abijciens, uix uocem hanc expallescens & semimortuus exanimis edat, Projicite me in mare. Nam si Deus sic nobiscū ageret in agone mortis, ut ostenderet nobis aliquā scintillam uitæ, aut si animus sic apud se tunc esset, ut concipere posset uel cogitare aliquod omnino in tota creatura spatium quo migraret, aliquam uia aut modum quo consisteret, aut ubi conquiesceret, breuiter aliquid cui posset inniti, mors non esset tam acerba, sed esset ueluti saltus quidam, per riuulū de ripa in ripam, ubi utrinq; uideas ubi sis, ubi hereas & possis consistere. Nunc autē mors cuiusmodi est conturbatio, ubi è firmo & certo littore huius uitæ desiliendū est in medium mare, ubi nec sentire quicquam, nec uidere, nec ulli rei usquam inherere aut inniti possis, sed tantum sis quo mare & fluctus te auferunt in manu Dei. Quemadmodū & hic Ionas è nauis qua uehebatur, quem sentiebat, projicitur in abyssum, ubi nec uadum nec fundum sentit, sed ab omnibus creaturis desertus, in manu Dei uehitur.

Quarto, portat in media morte iram Deo, nam nimis sentit illam mortē, non ex gratia, sed indignatione Dei sibi infligi. Mortem quidē forsā ferre tolerabilius fuisset, si simul nō premeret, & penē opprimeret miserum Ionam irā Dei, cum propter no-

men & Verbum Dei ad mortē condemnatur, iniu-
 riam tyrannorum, ut plerisq; martyribus contigit,
 mors tolerabilior & iucunda est. Nam ibi marty-
 res certi sunt per iniuriam se pati, & cum causa sit
 optima, nihil dubitant Deum ipsis bene uelle & fa-
 uere, & agnoscunt hanc crucē & mortem nō per
 iram, sed bona Dei uoluntate immitti. At ubi meus
 animus me ipsum coarguit, ubi ipse mihi sum con-
 scius me commeruisse mortem, ibi mortis acerbita-
 tem auget, horribilis metus iræ diuinæ, totāq; men-
 tem euertit & conturbat, ut nihil in me quā mor-
 tem & iram sentiam & inueniā. Ista quatuor nunc
 si singula per se expēdas, uide an non singula tam
 grauiā sint, ut uel sanctos pios frangere possit, nā
 impij non possunt ibi perdurare. Quis enim tam est
 fide robustus, ut hilari animo, aut tranquillo corde
 esse possit, si tantum uere sentiat irā diuinam, etiā
 si corpus non moriatur. Plerosq; Ethnicos hic in-
 credibilis mœror, & hæc tanta mœstitia egit in fu-
 rorem, ignaros quo igne torquerentur miseri, aut
 quid paterentur, multos uero ad restim adegit: de-
 inde, quis tam infractus, qui mortis conspectu non
 ualde perterrefiat aut expallescat, etiam si igno-
 ret quid sit ira Dei? ut Ethnici: aut etiam si gratiam
 Dei, & placatum Deum senserit, ut spirituales &
 sancti. Ideo nulla est grauior, durior, aut molestior
 fari

sarcina sub cælo, quàm uere sentire uim peccati, & uel uno momento experiri ream conscientiam. Planè supra humanas uires est, ferre hanc tantam tristitiam, ut primum coram Deo confundaris, deinde extreme tibi displiceas, neque aliter intus sentias, quàm omnibus creaturis te & abominabilè & inuisum esse. At hunc miserum & afflictum Ionam, hæ tentationes horribiles, simul quasi uiolentus fluius obruunt, & misere urgēt, ac penè oppressum sic submergūt, ut propè fide euersa adigatur ad desperationē. Superat planè humane rationis captū, & uerbis exprimi nequit, cuiusmodi ibi æstus et mirabilis lucta in afflictissimo Ionæ corde fuerit, non sit mirum si in hoc tanto agone Ionas quoq; sanguinem exudarit. Hic enim miser & tristissimus Ionas contra peccatum, contra accusantem propriam conscientiam, contra diluuium pessimarū cogitationū & imaginationum cordis sui, contra inualescentē & iam sibi incumbentem iram Dei, unus obnititur & solus decertat. Ibi haud dubie salus Ionæ tenuissimo pependit filo, & (ut Psalmus ait) non longè absuit à portis inferi & æternæ damnationis. Hic optarim mihi non deesse uerba ad adumbrandū uel tenuibus lineamentis hoc tantum fidei robur, quòd his inferi portis præualuit, adcoq; quòd ibi contra tantum impetum perstitit. Nam quòd in fide con-

IN IONAM

stans permanserit Ionas, ostendit hæc magnifica & excellens euasio & liberatio. Deus enim nullū incredulum aut impium, tam nouo & per omnia excellenti miraculo ē media morte eripit. Ad hæc Ionas fatetur se seruum Dei, & merito se contempti Dei poenas dare fatetur, quod nulli omnino sapientes mundi aut philosophi possent, sed recta præcipitarēt se & abijcerent in desperationis baratrum.

Præterea ad hæc tanta mala & hæc accedit noua calamitas, quod ē nauis in mare abijcitur, ibi in crudeli, & lento quodam mortis genere soli perendum est, ibi nemo est qui consoletur in tanta destituta, sed nauis cum suo cursu abit, Ionas in medio mari relinquitur, ut certo nūc submersus et mortuus.

Sexto, ne sic quidem miseriæ finis est, ne in mari quidem mori datur misero, nec satis est ut una morte pereat, sed horrēdis ceti faucibus tantillus bolus absorbetur. Et eo ipso crudelissimum, & quasi implacabilem ostendit se Ionæ Deus, quasi furore magis quam desituro, quasi ea poena, ad quam ultro obtulit Ionas, non contentus, adhuc grauiorem & sauiorem querat uindictam. Nam immanis ille ceti visus, haud dubie nihil aliud quam horribilis mortis facies fuit misero huic & tantis pauoribus confecto Ionæ: cum enim oris uidit immanem hiatus & dentes ordine fixos, quasi trabes aut acuminatas

tas columnas: cum uidit illam altissimam & obscu-
 rissimā gutturis cauernā, quid aliud quā in infernū
 uidit? Scilicet hoc est in morte consolari? scilicet sic
 Deus prope est contritis corde? hāc ne facie se of-
 fert Deus suis pijs, iam in morte luctantibus? Sed
 planē diuina & omnipotens potentia fides est &
 aeterna, ac insuperabilis uita, ideo & in maximis,
 mortis ac inferni difficultatibus, et illa extrema re-
 rum desperatione uires suos exerit, adeoq; tūc pri-
 mum resumit. Velles igitur perfectioris & exerci-
 tate fidei in aliquo magno sancto, imaginem tibi o-
 stendi. Huc huc ad Ionā in ceto aduerte oculos, hic
 fidem quasi in acie stantē, & credentis cordis per-
 fectam formam cernis. Hæc enim tanta (si nescis) in-
 fracti animi firmitas & constantia, hæc tam certa
 persuasio, Deum ueracem esse, fides est quam do-
 cemur. Hic tantus agone, & uictoria in agone, non
 uirium humanarum est, sed fidei robur & summus
 gradus. Hoc est illud inuictum robur, sub infirmi-
 tate absconditum. Et hic Deus ostendit quā ue-
 ra fides, sic adherens Verbo Dei cōtra omnes cre-
 aturas, adeoq; ipsam diuinam iram inuicta sit, etiā
 si omnes tentationum fluctus semel inundēt. Voluit
 autem Deus, ut Ionas toti mundo cordis sui intima
 aperiret, & palām affectus animi sui nobis prode-
 ret, ut uideremus cuiusmodi agone, omnium creden-

I N I O N A M

tium corda in similibus tentationibus exerceantur, ut posthac audiemus. Quemadmodum enim omnes maris fluctus Ionam adobruunt, & quemadmodum horribilis ille rictus beluæ, totaq; illa facies minatur interitū: ita tentata conscientia incredibili tempestate diuinæ iræ & mortis quatitur, omniaq; sic apparent quasi infernus in ictu oculi animam iam hausurus sit.

Et fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus.

Quid putas, an non anno, an non centū annis, an non seculo longius uisum est ei hoc triduum? Si Ionæ cogitationes respicias, nullæ unquam dies aut noctes sub sole longiores fuerunt. Nam haud dubie nullum unquam tempus, nulla mora fuit molestior Ionæ, quàm quòd ibi in stomacho ceti, & simul in medijs tenebris, deuoratus & absumptus & tamē non consumptus iacuit. Quasi iam proiectus in infernum uiuus perijt ibi Ionas, non uidēs Solem neq; Lunam, non numerans horas neq; tempus, ignarus an hoc in mundo, an extra mundū ibi in tantis squalloribus uiscerum beluæ circumueheretur. Cuiusmodi putas terroribus cor eius percussum sit in uentre beluæ, dum nunc iecinoris immane pondus sibi incumbere, nunc pulmonis flatu & reflatu se uerberari

rari sensit. Quid usquam hoc habitaculo Ionæ, inter spiras, ibi & sinuosa uiscerū uolumina inter ingentes costarum crates potest excogitari prodigiosius aut mirabilius? At haud dubie Ionas fuit sic tunc pauoribus mortis obrutus, ut se nescierit, ut nō multum meminerit quid in piscis corpore pateretur, semper autem cogitaret, timens & tremens, Psal. 6. Domine usquequō ero in tanta morte, & quando erit finis. Nam Deus bone, quā mirabile hoc opus est Dei? Quis uerbis aut cogitationibus hoc assequi potest, hominem uiuum, & spirantē tribus diebus, tribus noctibus, solum, desertum, nō modo cibo, potu, sed & communi luce & aëre carentem, per tot maris tractus in uentre immanis beluæ circūuectari, & tandem in littus uiuum reuomi. Quid nouū, quid inauditum est, hoc si non nouum genus est navigationis? Quis non fabulosum, & quouis mendacio uanius hoc diceret, nisi in scriptura sancta hoc cōtineretur? Voluit ostēdere Deus, quā potenter et quā facile uiuare et mirabiliter possit seruare et eripere suos in media morte, omniumq; maximis & extremis periculis, tunc cum omnibus humanis auxilijs deserimur, quod tamen nos non adeo facile credimus. Ipse enim præsens est in media morte, in inferno, in medio hostium, fingens etiam & refingens eorum mentem & intimum cogitatum, ut uult.

IN IONAM

Ipse omnia condidit, omnia dispensat & gubernat,
 omnesq; creature eius parēt sempiterno imperio.
 Propter nos autem hoc scriptū est, & propter nos
 tam mirabili exemplo ostenditur eius omnipoten-
 tia, ut in ipsum confidere discamus, etiam tunc cum
 in media morte, aut in manibus hostiū sumus. Deus
 non opus habuit, nec Ionas, ut hæc scriberētur, pro-
 pter nos hæc scripta sunt. Nam licet totus mundus
 oretenus fateatur Deum esse omnipotentem, & ne-
 mo sit, qui cum audit hunc titulū Dei, OMNIP-
 TENS, non putet se hoc facile & uere credere,
 tamen cum ad experientiam uentum est, cum immi-
 nente periculo uitæ, salutis, bonorum, iam constan-
 ter niti debemus Verbo Dei, cum iam omnipoten-
 tiam re ipsa experiri debemus, ibi ipsi nosse nosmet
 ipsos discimus, quā pauci sunt, qui nixi fide, peri-
 culum salutis adire, & omnipotentiam re ipsa ex-
 periri sustinuerint. Hæ enim experiētiæ fidei, quia
 non sunt sine pauoribus mortis & peccati, spiritua-
 liſsimis etiam sanctis penè intolerabiles sunt. Sed ta-
 men maxime consolationi sunt pijs hæc exempla,
 quomodo Deus exerceat credentes. Quemadmodū
 propheta in Psal. dicit, Domine memor fui operum
 tuorum, & consolatus sum.

Cum nunc Ionas est proiectus, & sibi & mūdo
 mortuus, & omnis spes uitæ adempta. Hi enim ho-
 mines

omnes in nauī, nō aliter sciunt quā ipsum esse sub
 mersum & mortuum, ideo & orant Deum ne eos
 perire sinat propter animam Ionæ, ne ipsis impu-
 tet innocentem sanguinem: quibus uerbis fatentur
 se Ionam habere pro mortuo, conscij sibi quod pa-
 rentes diuinæ uoluntati, ipsum quāuis inuiti è na-
 ui proiecerint. Atq; ibi primū exerit se uita, & fru-
 ctus mortis Ionæ. Primum enim Ionas eo ipso quod
 proijcitur in media morte, potenter uiuus & inco-
 lumis seruatur. Deinde & illi homines in nauī, non
 modo à morte & presenti periculo, sed etiam ab
 impietate & peccato liberantur, & iam cogno-
 scentes Deum, adeo pij et iusti serui Dei fiunt, ut ue-
 re humilientur, atque ibi timeant peccatum, ubi me-
 ra est obedientia Dei. Nam Ionam libenter seruas-
 sent incolumem, & timent ne homicidæ fiant proie-
 cturi Ionam, & tamen perpelluntur uoluntate &
 manifesto iussu numinis. Quā piæ, puras cōscien-
 tias nūc in his ethnicis uideas? ecce hi qui paulò an-
 te neq; homicidium, neq; contemptū Dei, neq; ullū
 aliud scelus essent reueriti, nūc obliti Idolorū, quo-
 rum cultura dediti erant, sacrificant, & uota uero
 Deo faciūt. Hoc totū bonū exoritur & nascitur ex
 morte Ionæ: adeo electis Dei omnia cooperantur
 in bonum, ut mors etiam ignominia sanctorū, cum
 ipsis tum alijs cedat in salutem. Quid timorem Dei

nocent Hebraei, supra dictum est, nempe uerum cultum Dei. Verus enim cultus Dei est, Deum uere timere & uenerari: sic hi homines etiam timuerunt Deum, id est, sunt facti serui Dei & iusti.

CAP. II

Et orauit Ionas ad Dominum Deum suū de uentre ceti, & dixit.

Hoc non est sic accipiendū, quasi hunc Psalmum Ionas labijs & ore cecinerit, aut sic uersibus in uentre ceti luserit. Neque enim tam trāquilla aut serena mente, in tam horribili tentatione mortis fuit Ionas, ut tunc potuerit tam elegans carmen condere. Sed hoc carmine postea Ionas suas illas angustias & affectus descripsit, cuiusmodi horrendarū cogitationum spectris cor suū tunc quassatum sit, cum sic in hoc tanto mortis agone luctaretur. Nam hic oportet introspicere animū eius, & interiorē illum Ionam intueri, ante quā liberaretur, cum adhuc in morte esset, & plane nihil quā mortem & terrores maximos sentiret. Neq; enim sciebat Ionas se redimendum esse, sed putauit iam esse moriendū, uere sensit omnes pauores mortis,